

Vorbemerkung:

Der folgende Text soll in angemessenes Deutsch übersetzt und durch die Beantwortung der unter II. gestellten Aufgaben sprachlich erläutert werden.

I. Übersetzung:

Kritik an Varros Lehre von den Göttern

O Marce Varro, cum sis homo omnium acutissimus et sine ulla dubitatione doctissimus, sed tamen homo, non Deus, nec spiritu Dei ad videnda et adiuvanda divina in veritatem libertatemque subvectus, cernis quidem quam
5 sint res divinae ab humanis nugis atque mendaciis dirimendae; sed vitiosissimas populorum opiniones et consuetudines in superstitionibus publicis vereris offendere, quas ab deorum natura abhorrere vel talium, quales in huius mundi elementis humani animi suspicatur infirmitas, et
10 sentis ipse, cum eas usquequaque consideras, et omnis vestra litteratura circumsonat. Quid hic agit humanum quamvis excellentissimum ingenium? Quid tibi humana licet multiplex ingensque doctrina in his angustiis suffragatur? Naturales deos colere cupis, civiles cogaris. Invenisti alios fabulosos, in quos liberius quod sentis evomas, unde et istos civiles velis nolisque perfundas. Dicis quippe fabulosos accommodatos esse ad theatrum, naturales ad mundum, civiles ad urbem, cum mundus opus sit divinum, urbes vero et theatra opera sint hominum, nec
20 alii dii rideantur in theatris, quam qui adorantur in templis, nec aliis ludos exhibeatis, quam quibus victimas immolatis. Quanto liberius subtiliusque ista divideres, dicens alios esse deos naturales, alios ab hominibus institutos, sed de institutis aliud habere litteras poetarum, aliud sacerdotum, utrasque tamen ita esse inter se amicas consortio falsitatis, ut gratiae sint utraeque daemonibus, quibus doctrina inimica est veritatis! Sequestrata igitur paululum theologia, quam naturalem vocant, de qua postea disserendum est, placetne tandem vitam aeternam peti aut sperari
30 ab diis poeticis theatricis, ludicris scaenicis? Absit; immo avertat Deus verus tam inmanem sacrilegamque dementiam. Quid? ab eis diis, quibus haec placent et quos haec placant, cum eorum illic crimina frequententur, vita aeterna poscenda est? Nemo, ut arbitror, usque ad tantum praecipitium furiosissimae impietatis insanit. Nec fabulosa igitur nec civili theologia sempiternam quisquam adipiscitur vitam.

sequestrare (27) = intermittere

II. Sprachliche Erläuterungen:

1. Geben Sie syntaktische Erläuterungen zu dem Satz "sed vitiosissimas ... litteratura circumsonat." (6-11)!
2. Wie läßt sich der Modus von "evomas" (15/16) erklären?
3. Erläutern Sie semasiologisch den Begriff "consortium" (25)!